DE

TABE DORSUALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. M. JUNII A. MDCCCXLVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EDUARDUS MEYER
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

G. SCHULTE zu CRANWINKEL, MED. ET CHIR. DR.
Q. HAANEN, MED. ET CHIR. DR.
H. WEDEL, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

ORNATISSIMO, DOCTISSIMO,

COGNATO DILECTISSIMO,

A. BRUCK,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO VRATISLAVIENSI,

NEC NON

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Homo in litteris mediocriter versatus de re proposita scripturus, quam viri eruditissimi ab omni parte egregie exposuerunt, plerisque in casibus nihil melius habet, quod faciat, quam ut ea, quae experientia aliorum edoctus adoptavit, succincte et acute describat. Praecipue in rebus medicis tam multa sunt discenda et cognoscenda, a viris illustrissimis observata et explanata, ut tempus, quod scholis clinicis frequentandis impendimus, vix sufficiat, multo minus nova nos excogitare et in medium proferre patiatur. Quare apud animum meum constitui in

hoc libello morbum adumbrare, quem saepe observandi occasio mihi oblata est, quamvis probe sciam, eundem a viris doctrina et ingenio me multo majoribus esse pertractatum.

CAP. I.

HISTORICA QUAEDAM.

Hippocrates [1]) jam morbi medullae spinalis mentionem facit, qui ei dicitur „ἡ ὄπισθεν φθίσις,' i. e. tabes in posteriore parte. Alia vero quaedam tabis dorsualis species esse videtur, quae in Hippocratis libris vocatur „αὐάντη," quam resiccationem dicas, qua medulla spinali afficitur, cujusque symptomata nostrae tabi dorsali magnopere respondent. Alii, qui de morbo nostro scripserunt, auctores antiquiores sunt: Aretaeus [2]), Galenus [3]), Celsus [4]), Boerhave [5]), qui nomine tabis nervosae fere omnes istum morbum adumbraverunt

---

[1]) Hippocrates de morb. Lib. II. Cap. 49.

[2]) De signis et causis morb. Lib. II. Cap. 5.

[3]) Opera omnia. T. III. Cap. 583.

[4]) Comment. de sanitate tuenda p. 37.

[5]) Institut. med. §. 776.

ex spermatorrhoea et nimio Veneris usu orientem, omissa sedis exploratione. Recentioribus vero temporibus, quum permulti praeclari viri, iique meritissimi ad eruendas nervorum functiones eorum systemati maximum impendere coepissent studium, tabem nervosam et tabem dorsualem valde inter se differre intellexerunt, nam tabes nervosa, quam Schoenlein quoque tabem siccam seu hecticam nominat, alienatione systematis chylopoetici nititur. Aegroti, ut singulis tantum symptomatibus utar, molestiis ex digestione ortis premuntur, dum appetitus aegrotorum, de quibus hic sermo est, semper fere integer, ceterum propria est fere feminarum, dum tabes dorsualis plerumque viros aggreditur.

CAP. II.

SYMPTOMATOLOGIA.

Multi auctores tabi dorsuali duo vel tria stadia adscribunt. Quos secuturi de stadio irritationis primum dicamus.

Tabis dorsualis princeps symptoma morbosum initio apparet vis musculorum motoria debilitata, primum in extremitatum inferiorum musculis et regionis coxarum, quae, licet plerumque in utraque extremitate eodem tempore incipiat, interdum initio unam, postea semper et alteram corripit. Aegroti queruntur, se, si pedibus insistere et ambulare velint, ob debilitatem et gravitatem, quas sentiant, id praestare non posse, et praecipue, si per longum tempus hoc tentaverint, illa debilitate, ut considant, cogi. Eodem fere tempore, auctore Romberg anaesthesia muscularis et cutanea, quoad tactum oriri solet, sensibilitate cutis ad calorem et frigus percipiendum non aequaliter minuta. Summa anxietate huc illuc vagantur, et in pedibus et circa vertebrarum columnam formicationis sensum accusant. Ex quibus apparet, quamvis anaesthesia earum partium completa adsit, quae a medulla spinali obtinent innervationem, tamen irritationem centralem nervorum spinalium persistere, tametsi enim aegrotus morbo provectiore ne acupuncturam quidem vel moxam sentiat, in partibus paralysi affectis sensum tremoris, formicationis, alias sensationes, quae vix definiri possunt, percipit. Semper vacillant aegroti,

et terram sub pedibus non sentiunt, quod symptoma auctore Romberg [1]) ex anaesthesia nervorum ad musculos extremitatum proficiscentium, quam semper comitem esse tabis dicit, explicari potest. Etenim si aegrotum erecto corpore stantem oculos claudere jubemus, statim vacillat corpus, quod quidem mox ita augetur, ut, nisi niti quadam re possit, corporis pondere coactus corruat. Non solum autem, si pedibus uti conatur, vacillat, verum etiam, dum sedens corpus sella tenetur, clausis oculis ab ea delabitur. Quae anaesthesia jam ab exordio morbi, vi motoria sensim sensimque deficiente, sese manifestat, minime sub finem demum morbi, ubi paralysis perfecta jam intravit, discerni potest. Oculi regulatores quasi cujusque motus sunt, quare in tenebris praecipue ne corruant, maxime cum anxietate metuunt. Tamen cutis usque ad paralysin intrantem semper sensibilis est, ita ut verba aegroti, se inter pedes et terram corpus quasi alienum mollem, exempli gratia lanam sentire, ad anaesthesiam muscularem pertinere intelligas. Qua de caussa qui tabe dorsuali premuntur, equites, pedem, quamvis jam stapiae

---

[1]) Lehrbuch der Nervenkrankheiten. Bd. I. S. 228.

inhaereat, semper semperque melius adaptare student.

Sed, quod mirum est, tametsi aegrotus, non sine summa contentione quoslibet motus exercere potest, functiones extremitatum voluntatis imperio plane obtemperant. Nam medulla spinalis J. Mueller auctore [1]) creator et motor principii nervorum in hoc morbo esse desinit, quamvis ad principium nerveum conducendum sufficiat. Haec sunt ejus verba: Tabe dorsuali ineunte nullus musculus paralysi est affectus extremitatum inferiorum et agrotus omnes motus, quos praestare animo constituit, exhibere potest. Sed vis ad motiones necessaria est exstincta, viribusque sensim sensimque decrescentibus subito paralysis perfecta irruit. Quam paralysis speciem ab aliis esse distinguendam, quibus musculi nonnulli voluntati non sunt obnoxii, dum alii ad omnes motus perficiendos sunt idonei, satis est perspicuum. Aegrotis magna coeundi cupiditas, seminis tamen ejaculatio brevi cum voluptate est conjuncta, postea adeo, quoties phantasiam ulla subit ad sexum spectans cogitatio, aut genitalia vel vestibus leviter fricantur, toties viris supervenit pol-

---

[1]) J. Mueller, Physiolog. 2. Aufl. Bd. I. S. 803.

lutio sine ullo libidinis sensu, genitalia initio turgescentia fiunt laxa et atrophica, flaccida manent, neque erigi possunt. Semen ipsum liquidum, aquosum, peculiari odore destituitur, neque auctoribus nonnullis spermatozoa in eo inesse dicuntur. Musculi lumbares et dorsales macrescunt, ita ut processus spinosi longe promineant, articuli relaxantur, extremitates quoque superiores afficiuntur. Semper fere atrophia a cauda inde equina medullae spinalis exordia capit, superiorem vero partem, ex qua extremitates superiores nervos obtinent, serius afficit. Tamen Horn [1]) prius superiorem, quam inferiorem medullae spinalis partem affectam esse, semel observavit. In manibus et pedibus sensum frigoris aegri conqueruntur, turgore privatur cutis, et siccitatem quandam offert, ex quibus intelligimus, medullam spinalem quoque ad functiones systematis vasorum capillarium moderandas multum valere. Aegrotis abdomen tensum videtur, tanquam fune constringatur; faeces sunt retentae, detrusor vesicae debilitatus, ita ut lotium non via solita, sed guttatim reddere cogantur. Vultus timiditatem et moestitiam prae se fert, mox amblyopia intrat, ex quibus medullam

[1]) Vereinszeit. 1842. No. 16.

spinalem magis, quam nervos impressiones communicare cum alia parte satis elucet.

Si veram morbi naturam perspectam habent, tristitia, morositate, taedio societatis humanae, immo ipsius vitae magnopere affliguntur, atque tantopere eos poenitet, quod vitio teterrimo tam diu indulserint, ut haud raro de manu sibi inferenda meditentur. Denique, id est, in secundo morbi stadio paralysis completa intrat, quamvis stadia non satis distincte segregari possint. Aegroti non amplius ita se habent, ut corpus sustinere possint, sed inferioribus extremitatibus destituti sibi videntur, quae semper fere flexae detinentur; motus convulsivi apparent, impotentia fit completa, denique paralysi cerebrum quoque afficitur, oriuntur amaurosis, dementia, surditas. Tabes, quae senibus interdum supervenit, eo discrepat, quod stadium irritationis plane deficit.

CAP. III.

AETIOLOGIA.

Viri ad hunc morbum magis opportuni sunt, quam feminae, quae aliis quoque ex causis in hanc tabem incidunt, nam partus brevi sese excipientes, lactatio diu protracta, metrorrhagiae plus ad tabem feminis inferendam conferunt quam excessus in Venere. Quibus medullam spinalem praecipue affici jam Hippocrates scribit: „Tabes dorsualis a medulla fit. Corripit autem maxime recentes maritos et veneri deditos." Viros quidem omnino excessibus in Venere, potissimum autem vitio manstuprationis indulgentes, in hunc morbum irruere, quamvis haec non sit sola caussa, inter omnes constat. Quod verum esse, eo facilius elucet, quo magis vim medullae spinalis in functiones sexuales meditamur. Negari enim non potest, medullam spinalem coitu magnopere affici, id quod jam ex motibus reflexis vesicularum seminalium et perinaei musculorum apparet; relaxationis quoque coitum excipientis caussa in nulla alia re, quam in

medulla spinali collocari potest. Quare non inepte coitum cum convulsionibus epilepticis comparare licet, quod hic quoque irritatio praecipue inferioris partis medullae spinalis et nervorum spinalium inde proficiscentium locum habet. Si vero saepius excessus in venere committuntur, mox erethismus nervosus medullae spinalis et nervorum exoriatur necesse est, quem etiam apud feminas hystericas haud raro invenimus. Viros autem eo facilius tabes dorsualis aggreditur, quod cum coitu semper jactura seminis est conjuncta, quae, si saepe evenit, totum corpus debilitet et exhauriat oportet, quum id, quod criterium habendum est potentiae virilis frustra prodigatur. Vitium vero manstuprationis multo plus conferre ad vim medullae spinalis deprimendam ex eo apparet, quod ii, qui huic vitio sunt dediti, jam primis ineuntis pubertatis annis, nullaque re externa prohibiti multo majorem seminis jacturam facere possunt, deinde, quod praeternaturalis ille exercendae libidinis modus, sola mechanica scilicet illa frictio ad ejaculationem seminis usque adhibita, multo perniciosior esse debet, quam coitus via naturuli exercitus. Veruntamen excessum cujusque generis non semper tabes dorsualis, sed etiam alii morbi subsequuntur. Nam medulla spi-

nali exhausta stasis sanguinis oboriri potest, quam haud raro suppuratio, spondylarthrocace, exsudationes intra medullae spinalis tunicas excipiunt. Ab altera parte videmus, non solum excessibus in Venere et onania tabem provocari, sed etiam alias caussas morbi evolutionem efficientes exstare, quarum enumerantur: graviores contentiones extremitatum inferiorum, itinera longa atque difficillima, haemorrhagiae violentae recti et urethrae, excessus in stadio convalescentiae, (praesertim tempore pubertatis), post tum alios morbos, tum febres typhosas redeuntis, ubi et coeundi ardor admodum vehemens [1]) est; porro inflammationes columnae vertebralis chronicae [2]). Truestedt symptomata tabis dorsualis vidit sarcomate medullari durae matris inter vertebram quintam et sextam dorsalem sito, inducta, quod ita comprimebat medullam spinalem, ut pars ejus inferior ad illud sarcoma usque maxime attenuata, emollita et fere dissoluta inveniretur. Sed num verbis, quae Canstatt [3]) tradit juvenes saepe idcirco tabe dorsuali tentari, quod

---

[1]) Schoenlein, spezielle Therapie. Th. I.

[2]) Harless, über Entzündung des Rückenmarks.

[3]) Bd. III. Abth. I. Pathogen. Verhältnisse der Rückenmarks-Krankheiten.

turgor vitalis cum evolutione corporis conjunctus, major sit, quam qui a medulla spinali tam debili sustineri possit, haud scio, an sit assentiendum.

CAP. IV.

MORBI DECURSUS

Plerumque morbus chronicus est, et per multos annos protrahitur, interdum tamen citissime progreditur, praecipue apud juvenes, ortus ex manstupratione, aut praegressis morbis acutis, quibus vires fere exhaustae sunt, porro si phthisis pulmonum, aut febris hectica accesserit, id quod Schoenlein tertium morbi stadium nominat. In terris meridionalibus morbus rapidius videtur decurrere, quam in septemtrionalibus. Rarissime tabes dorsualis transit in completam valetudinem, nunquam fere, si morbus secundum stadium assecutus est. Schoenlein tamen, in hoc quoque stadio sanitatem instauratam se vidisse affirmat.

Initio quidem morbi, apta curatione instituta, praecipue, si aegrotus a manutigio se abstinere potest, vires recreari possunt, sed aegrotus in summo periculo versatur, ne, caussa quadam accedente, in eundem morbum recidat. Generatim hypochondria, dyspepsia, aliaque ejusmodi symptomata remanent. Apud feminas tabes dorsualis nec unquam ad tantum progreditur fastigium, quam apud viros, nec tam rapide decurrit. Sed utut convalescant, hystericae semper manent.

Saepissime autem aegroti mortem obeunt. Oritur febris hectica cum sudoribus profusis, vires maxime debilitantibus, nec non diarrhoeae colliquativae aegrotis superveniunt. Juvenum pectus saepe afficitur, oritur haemoptysis et phthisis, quae dicitur florida, qua mors acceleratur. In dorso decubitus gangraenosus late diffusus interdum apparet. Quod veteres jam observarunt, ulcera parva in cute aegrotorum efflorescere, quae difficillima sint sanatu, Berends [1]) comprobat. Vel aegroti marasmo, sive febris nervosae lentae symptomatibus animam exspirant, aut denique progressa tabe dorsuali ad superiorem medullae spinalis partem

---

[1]) Berends, Opp. posth. T. I. pag. 95.

pulmonum et cordis nervorum paralysis irruit, qua miseri tandem calamitatibus liberantur.

CAP. V.

SECTIO CADAVERUM.

Tabe dorsuali defunctorum exterior corporis habitus nihilo a corporibus aliorum discrepat, nisi macie magna, praesertim extremitatum inferiorum, quae quidem jam tanta observata est, ut ne in plantis quidem pedum inveniretur pinguedo.

Mutationes pathologico-anatomicae, licet interdum fere totius medullae spinalis atrophia inveniatur, partialem tamen plerumque ostendunt, defectum, qui praecipue in inferiore ejus parte, in bulbo lumbari et cauda equina nervisque inde proficiscentibus conspicuus est. Contentum fasciculorum nervorum jam ita tabefactum conspexere nonnulli scriptores, ut neurilema fere medullae omnino expers videretur. Interdum etiam radices nervorum ex superiore parte, quam qua medullae ipsius

atrophia conspiciebatur, orientium atrophicae inveniebantur. Medulla album colorem amisit, et in flavum, griseum, viridem transiit. Substantia grisea saepe indurata invenitur.

Romberg in scholis clinicis narravit, se interdum observasse solas posteriores nervorum radices a medulla spinali proficiscentium et sensibilitati inservientium atrophicas et simul cum illis posteriorem medullae spinalis partem, anteriore sive motoria parte radicibusque motoriis nullo modo mutatis.

CAP. VI.

PROGNOSIS MORBI.

Quamvis alii auctores tabem dorsualem sanari posse omnino diffiteantur, ut Horn, Romberg etc., alii, quibus Schoenlein est adnumerandus, in ipso secundo morbi stadio sanitatem restitutam se vidisse asseverant, prognosin in universum non tam infaustam esse, ut nonnulli medici opinentur, sed sequentia esse respicienda judicant. Primum,

viros hoc morbo affectos in majore periculo versari, quam mulieres, deinde juvenili aetate, praesertim, quum vitium supra dictum morbum evocaverit, majus esse discrimen, porro exitum semper esse lethalem constat, si febris hectica, pulmonum affectionibus insignis, accesserit. Denique exitum in mortem eo accelerari putaverim, quod multos semper multumque poenitet, se sua culpa in tantas calamitates incidisse.

CAP. VII.

THERAPIA.

In nullo fere morbo tanta copia medicamentorum est proposita, quanta in tabe dorsuali, ex quo sententiam veram esse perspicuum est, quemque morbum, cujus multa remedia sint commendata, difficillime sanari. Tamen medici est, si morbum arcere non poterit, dies miserorum supremos exhilarare. Quam agendi rationem exsequendi hoc in morbo chronico uberrima occasio offertur.

Primum vero nobis respicienda est indicatio causalis; causae igitur studiosissime sunt indagandae, atque, si ullo modo fieri potest, auferendae. Praecipue autem cavendum est, ne verbis aegrotorum tantam fidem habeamus, nam saepissime, se a medico morbi naturam perspiciente tantum sanari posse persuasum habentes, licet causae illi ignotae sint, se nimiam seminis jacturam passos esse, pudore commoti tenacissime negant, praecipue quum manutigio illud evenerit. Quibus fallaciis opinionem, tabem dorsualem saepe non per excessus exoriri magis magisque divulgatam esse, facile est intellectu. Prae omnibus est medici, libidinem domare, et voluntatem aegroti ita firmare, ut si manutigio deditus sit, ab hac prava consuetudine sese abstineat. Aegroto verbis blandis et benevolis adhibitis est admonendum, ut illi vitio valedicat. Ab omni cibo et potu excitante et diuretico se abstineat, tota diaeta ita instituatur, ut fere sit antiphlogistica. Alvus quotidie est solvenda, lavacra adhibeantur frigida perinaei et partium genitalium, nec non dorsi, antequam somno aeger se tradat, quo ne per longius temporis spatium utatur, maxime est vitandum. Caveamus quoque oportet, ne dormiat in pulvinaribus plumeis, sed in simpli-

cibus stragulis, in conclavi subfrigido, corpore lenissime obtecto.

Vitetur porro coitus et pro medicamentis internis exhibeantur nitrum et camphora. Interdum initio morbi matrimonium optimum fert auxilium, quippe quo aegrotus a perversa libidine averti possit. Curatio psychica maximis cum cautelis instituatur necesse est, quum teterrimis illius morbi sequelis explanatis, aegrotus facillime ad desperationem, melancholiam et insaniam adigatur, ita ut ipse mortem sibi consciscere conetur. Si alia est caussa tabis dorsualis, huic apta opponantur remedia. Matres lactantes infantes a mammis arcere debent, dyscrasiae suis medicamentis inpugnentur.

Indicatio directa, incipiente morbo, ubi irritationis nonnulla apparent symptomata, remedia hanc irritationem demulcentia postulat; quod si perpetratum est, vim medullae spinalis debilitatam instaurantibus et roborantibus remediis recreare debemus. Inter sedativa numeranda sunt frigus, camphora, opium, Hyoscyamus, elixir acidum Halleri, extractum nucis Vomicae, quae magnam in medullam spinalem vim exserunt. Non statim summus frigoris gradus est adhibendus, sed ordiamur a balneis localibus genitalium lavacris frigidis et bal-

neis, in quibus aegrotus per aliquot horae minutas morari debet. Adhibeantur clysmata frigida et tegantur partes pudendae linteo aqua frigida imbuto. Aestivo autem tempore lavacra frigida in aqua fluviatili summi sunt momenti. Ubi camphora, nitro et Opio interne exhibitis irritatio est depressa, tum amaris, ut China et ferro utamur, quibuscum curatio lactea apte conjungatur. Summae quieti aegroti semper indulgeant, et caveant, ne extremitatibus inferioribus, praesertim iis partibus, quae ex cauda equina nervos obtinent, nimium utantur. Aegrotus ab equitando et currendo sese abstineat, et, si fieri potest, in regionibus campestribus vitam degat. Antequam cubile petat, vesica semper vacuefiat. Quod si vero eo progressus est morbus, ut sola atoniae symptomata appareant, cum nutrimentis instaurantibus jungenda sunt remedia tonica, et quidem acida mineralia, ut acidum phosphoricum, sulfuricum cum naphthis. Maximam porro praestat utilitatem fontium eorum usus, quorum aqua ferrum continet, quae aut bibatur, aut pro balneis adhibeatur. Irritatione etiam adaucta aqua Amisensis, vel balnea cum sale maritimo parata in usum vocentur, postea, si irritatio est minuta, aqua Pyrmontana, Bruekenaviensis,

Schwalbacensis, utilitatem afferre solet. Etiam thermae ut Teplicienses, Gastenienses a nonnullis in medium sunt prolatae.

Canstatt [1]) oleum proponit jecoris Aselli, cujus vis medicata in omnibus atrophiae generibus probata sit, et Puchelt [2]) illud in duabus paraplegiae speciebus maximam utilitatem tulisse adnotat. Neumann [3]) balsamum Peruvianum summis effert laudibus, quo adhibito morbum, nulla cum dyscrasia complicatum febris remissionibus matutino tempore adhuc perspicuis, et paresi extremitatum inferiorum cum oedemate nondum exorta, certissime in sanitatem verti affirmat. Nonnulli scriptores etiam electricitatem, cauterium actuale interdum utilitatem praestitisse confirmaverunt, sed plerumque in provectiore morbi stadio omnia frustra adhibentur. Idcirco caveamus, ut Romberg dicit, ne iis noceamus, quibus per remedia salutem reddere non possumus. Quibus verbis confisus, nihil amplius in ultimo morbi stadio faciendum suaserim, quam ut aegroti vires nutrimentis aptis sustinean-

---

[1]) Canstatt, Med. Klinik, Bd. II. Abth. I. S. 212.

[2]) S. Heidelb. med. Ann. d. VI. 1840. S. 440.

[3]) K. G. Neumann, Bem. über die gebräuchlichsten Arzneien. Berl. 1840.

tur, atque vita elongetur. Omni modo id nobis est agendum, ut vires aegrotorum sustentemus, ne calamitatibus, quibus quotidie agitantur, juvenili jam aetate, qua omnes vitae gaudiis delectantur, succumbant.

VITA.

Natus sum, Eduardus Meyer, fidei veteri addictus, anno h. s. XXIII, Oberschwedeldorpii, pago non procul a Glatzio, oppido inferioris Silesiae, sito, patre Hirsch, matre dilectissima Theresia, e gente Epstein, quos per longum tempus incolumes mihi servet Deus, nunquam non precor. Puerulus duorum annorum cum parentibus in aliam prope Vratislaviam sitam regionem campestrem commigravi, ubi primis litterarum elementis eruditus sum. Tredecim fere annos natus Vratislaviam me contuli, ubi per septem annos gymnasium Magdalenaeum sub auspiciis strenuissimi Schoenborn florens, frequentavi. Anno h. s. XLIII, testimonio maturitatis instructus, almam sedem litterarum Viadrinam adii, et ab Ill. Benedict, tum fasces academicos tenente, in numerum civium academicorum reçeptus, apud Ill. Purkinje, gratiosi medicorum ordinis Decanum, rite nomen dedi.

Per quadriennium hisce interfui scholis:

Ill. Barkow de anatome pathologica;

Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis instrumentisque rite applicandis;

Ill. Betschler de gynaecologia generali, de arte obstetricia;

Ill. Branifs de logice;

Cel. Duflos de chemiae elementis et de chemia pharmaceutica;

Ill. Fischer de chemia experimentali;

Ill. Gravenhorst de zoologia universali;

Ill. Henschel de encyclopaedia et hodegetice medica, de pathologia generali;

Ill. C. L. Klose de therapia generali;

Ill. Nees ab Esenbeck de botanice tum generali quum speciali;

Beat. Otto de osteologia, de anatome corporis humani universa, de anatome comparata, de historia foetus, et de sectionibus forensibus;

Ill. Pohl de physice experimentali, de calore et luce;

Ill. Purkinje de physiologia experimentis illustrata;

Beat. Wendt de materia medica, de exanthematibus.

In theatro anatomico Beat. Otto, Ill. Barkow, in clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis Ill. Remer sen., Ill. Benedict, Ill. Betschler duces mihi fuere benevolentissimi et humanissimi.

Denique hanc almam adii litterarum universitatem Berolinensem et a rectore magnifico Ill. Boeckh numero civium academicorum adscriptus, a decano gratiosi medicorum ordinis maxime spectabili Ill. Mueller in album medicorum relatus sum.

Per hoc semestre hibernum hisce interfui scholis:

Ill. Mueller de anatomia organorum sensuum;

Ill. Hecker de historia medicinae.

Deinde clinicum chirurgicum Ill. Dieffenbach, et scholas policlinicas Ill. Romberg frequentavi.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Naturae rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit.
2. Vim vitalem nego.
3. Ubi permulta remedia, ibi nullum medicamentum.
4. Scrophulosis et Tuberculosis non idem sunt morbus.
5. Taxis in hernia incarcerata nimis diu continuata, periculosissima est.
6. Certa virginitatis laesae signa non exstant.
7. Debilis foetus esse solet, cum pulsatio funiculi feriatur, mortuus, quum jam dudum pulsatio fieri desiit.
8. Suicidium semper animi morbum supponit.
9. Nulla certa morborum internorum diagnosis ante necropsiam.